



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 34. Ostia ab Albæ Duce obsessa, captaque.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI tholomæus vero Montius, cum incau-
A.C. 1556. tius copias, quibus præerat, duceret, a
 trecentis Equitibus circumdatus, cum
 ejus miles passim auffugeret, amissis e-
 tiam omnibus impedimentis pariter ca-
 piebatur. Eo casu ultra modum con-
 sternatis Pontificiorum animis, atque i-
 pso Pontifice inprimis, omnes sic judi-
 cabant, fore, ut Albanus victoria usus
 recta Romam cum toto exercitu tende-
 ret, qua potiturus haud dubie credeba-
 tur: ast hic nonnisi inanis erat Roma-
 norum timor; quippe Dux duntaxat de
 Ostia expugnanda consilium cepit;
 quippe hac ratione Pontificem, ante-
 quam auxiliares copiæ e Gallia adveni-
 rent, ad pacem æquis conditionibus fa-
 ciendam statuit adigere.

§. XXXIV.

*Ostia ab Albæ Duce obsessa,
 captaque.*

*Thuc. p. 526.
 Pallav. l. 23.
 c. 20. n. 3.*

Die quarta Novembris Albanus Dux
 exercitum suum recensebat, tertio
 autem post die Ascanius Corneus Por-
 cilianum, & Ardeam suis subjecit armis,
 hacque ratione annonæ, quæ Neptuno,
 & Marino advehebatur, viam aperuit.
 Equidem Caraffa Cardinalis Sommæ
 Ducem, mox eo decernebat, ut locum
 hosti adeo commodum eriperet; ast irri-
 ta erant, illius molimina; unde navium
 ponte

ponte Tiberi imposito pedites, equites- Sæcul. XVI.
 que trajiciebant, tandemque rebus A.C. 1556.
 omnibus ita ordinatis Dux tertio die O-
 stiam venit, cujus portam Vespasianus
 Gonzaga admotis belli tormentis effrin-
 gens ipsam brevi urbem expugnabat,
 quo facto præfidiarii in arcem sese reci-
 pere compellebantur, unde totus impe-
 tus in eam vertebatur, tormentorum
 explosione in illam directa partem, quæ
 Tiberim respiciens valide muro, ac
 duabus turribus munita erat. Ex ad-
 verso Petrus Strozzius cum tribus pedi-
 tum millibus, ac trecentis equitibus
 Roma exhibat, ut tunc, si hostes obsidio-
 nem solvere cogentur, suis opportuna
 occasione erumpentibus præsto esse pos-
 set: quapropter secus amnem, qui sese
 in Tiberim effundit, ductis fossis castra
 sua munire, ac inde haud procul, ut Hi-
 spanorum excursiones præverteret, pro-
 pugnaculum erigere cæperat; nec ta-
 men arcis deditionem impedire valuit;
 quippe continuata per septem dies ver-
 beratione tandem die decima septima
 Novembris Vespasianus Gonzaga in ar-
 cem impetum facit, & quamvis in supe-
 riore labro vulnus accepisset, imo Hi-
 spani non sine suorum dispendio repel-
 lerentur, nihilominus obsessi altera die
 cum Corneo colloqui petentes, vitæque
 suæ incolumitatem pacti decimo, post-
 quam

Sæcul. XVI.
A.C. 1556.

quam arx obsideri cæperat, die deditio-
nem fecerunt. In ea obsidione Joannes
Tolfa, quamvis in crure faucius esset,
turri tamen sese incluserat, omnesque
strenue militis partes ea die explebat.

§. XXXV.

Induciæ Papam inter, & Hispanos.

Pallav. l. 13.
c. 10. n. 13.
Thuan. l. 17.
n. 530.

Cum uterque exercitus belli labores
pertæsus esset, de sanciendo indu-
ciis agi cæptum, hancque in rem San-
florianus, & S. Jacobi Cardinales Ro-
manis exponebant, eorum res adeo in-
clinatas esse, ut nemini magis, quam
ipsis pax exoptanda foret: Itaque die
decima nona Novembris decem dunta-
xat dierum induciæ sanciantur, easque
Cardinalis Caraffa, ac Neapolis Pro-
Rex suo firmant chirographo: Verum
biduo post, cum ambo hi Ministri in
proximam quamdam Insulam convenif-
sent, atque in utriusque exercitus con-
spectu per quinque ferme horas collo-
querentur, induciæ ad quadraginta
dies fuerunt prorogatæ, intra quod tem-
pus pacis conditionis a Pontifice, &
Caraffis propositæ ad Philippum Angliæ
Regem perferrentur. Exoptabat pacem
summis votis Albæ Dux, eoquod e re
Principis sui esse cerneret, pace cum
Pontifice facta res ea parte tranquillam
relin-